

15

cepisse illos testetur Cl. Fabrettus, pluribusq; exemplis confirmet in Syntagm. de Col. Trajan. Cap. VIII. p. 247., quibus sexcenta alia, si operæ pretium esset, adjungere possemus.

CONSORTI. Novum id, & inauditum Deos in Confortium Imperii ab Augustis adscitos. Equidem Dii *Comites* Augustorum, & in Inscriptionibus occurrunt, & in Nummis. Confortes tamen Imperii vocatos, nemo, quod sciam adhuc prodidit. Primum id ab Aureliano factum ex hoc nostro lapide animadvertit Emus Baronius ad A. Ch. CCLXXXIII. n. 2.

INVICTI. Invicti nomine sæpenumero Aurelianus insignitur, ut doctissimus Bandurius testatur, qui in notis ad nummos ejusdem aureos hanc Inscriptionem cum pluribus aliis adducit.

RESP. PIS. Respublica dicitur Pisaurum in hac Inscriptione, aliisq; n. XXII. XXXVI. Errant tamen vehementer ii, qui ex hoc Reipublicæ titulo, Pisaurum supra reliquas Italiæ Civitates extollere nituntur, & bella indicta, paces compositas, leges latas, Populos in servitutem redactos ex eo fomniant. Respublica Pisarense nil aliud significat, nisi Commune, seu Communitas Pisarense, ut usitato hodie vocabulo utar. Recte igitur Coloniarum æque, ac Municipia ita appellantur; En exempla in aliis Colonis, *Asculo* scilicet apud Grut. p. CCCLXXXI. 1. CDXXXVII. 1. *Auximo* p. CCCCLXV. 4., *Recina* p. CDXLVI. 9. *Verona* p. XCVII. 11. MCH. 7. plura vide in Indice Gruteriano Cap. X. Omnium vero luculentissimum habemus in Inscriptione antiqua a Gualtherio primum, mox a Reinesio edita Cl. III. 28.

HEL . AVG

RESP . COL . HEL .

AVG LILYBET &c.

simile peti potest ex Collect. Don. Cl. V. 14.: ibi *L. Alfus* CVR . REIP . COL . CASINATIVM dicitur. Hinc Siculus Flaccus de Condit. Agror. subsecivos agros *Reipublica Colonia-rum* concessos esse scribit; atque ita semper Agariæ Rei Auctores; quin etiam in ipsis Collegiis Respublicas invenimus: testis Vetus Inscriptio in Grut. p. CLXXV. 4. HOC AMPLIVS ARK. REIP. COLLEGII SS DONVM DEDIT.

CVRA